

Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis.

3. In prima illa constitutione, quum dii universa disponderent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt.—Non est homo tumultuarium et incogitatum opus. — Cogitavit nos ante natura, quam fecit. — Ita est: carissimos nos habuerunt dii immortales, habentque; et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocaverunt.

Qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet, et sentiet.

Omnes homines, qui sese student praestare caeteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne trans-eant, veluti pecora, quae natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita: animi imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis, commune est. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt: caeterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt.

CAPUT XV.

VIRTUS PROPRIUM ATQUE UNICUM HOMINIS BONUM.

Hi non viderunt, ut ad cursum, equum; ad arandum, bovem; ad indagandum, canem: sic hominem ad duas res, ut ait Aristocles, ad intelligendum, et agendum, esse natum, quasi mortalem deum.

Seneca Benef. 6. 23, et 2. 29. — Cic. Legg. 1. 22. — Sallust. Cat. 1. 1. s. Jugurth. 2. 4. —
Cap. XV. Cic. Fin. 2. 13.